



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 83. Altercationes de restauranda Eduardi Liturgia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

traderent, eo potissimum nomine, quod Regina, cum ejusmodi colloquium præciperet, jamjam principalem prætensi sui Primatus functionem, quam tamen impugnaturi convenerant, exerceret, ac merito omnibus timendum esset, ne eadem Regina, ejusque Senatus pariter fidei controversias definiendi auctoritatem sibi arrogaret. Denique Viacomienfis, & Lincolnienfis Episcopi contendebant, quod de Doctrina Catholica, cum jamjam plane esset definita, nonnisi in Synodo ex Judicibus Ecclesiasticis congregata agere liceat. Itaque perpensis hisce rationibus Catholici hoc colloquium dissolvebant: Senatus vero ex hac dissensione occasionem aucupatus edictum condidit, vi cujus æqualis ritus in Ecclesiæ Officio decernebatur.

§: LXXXIII.

*Altercationes de restauranda Eduardi Liturgia.*

Attamen, cum Eduardi Liturgiam restaurandi modus communis Curiae Patribus minime probaretur, hi aliam conceperunt formam, quam Curiae Superioris Senatoribus exhibere voluerunt: ast illam quoque prolixo admodum sermone Heathus Eboracensis Archiepiscopus confutabat, præcipue illas con-

Sæcul. XVI.

A. C. 1559.

Burnet l. 3. p. 580.

**Sæc. XVI.** demnans immutationes, quibus vera  
**A.C. 1559.** Religio Eduardi ætate obnoxia fuerat:  
 postea Cranmerum, & Ridleium de in-  
 constantia postulabat, eo quod circa  
 Christi Domini in Eucharistia præsen-  
 tiam toties sententiam suam mutassent.  
 Pariter Cestriensis Episcopus sese huic  
 edicto opponebat, contendens, eo non  
 minus fidem, quam charitatem lædi,  
 atque articulos jamjam decisos nulla-  
 tenus novo examini esse subjiendos:  
 merito autem redarguendum, quod in  
 hac liturgia de sacrificio, quo peccata  
 expiantur, mentio fiat, quin ibidem  
 Christi Domini adoratio in Sacrosancta  
 Hostia decernatur. Eandem quoque  
 causam Fechmanus Westmonasteriensis  
 Abbas propugnabat, hæc præcipue ex-  
 ponens: „Religio Catholica jam a Lucii  
 „Regis tempore in Angliæ regno flo-  
 „ruit, ex aduerso autem Liturgia hæc  
 „recens inventa nonnisi postremis duo-  
 „bus Eduardi annis ex incunabulis suis  
 „prodiit: insuper Religio Catholica nullo  
 „unquam tempore immutata fuit, nova  
 „autem hæc reformatio singulis ferme  
 „diebus aliam induit faciem, prout ex  
 „solo dogmate de Præsentia reali satis  
 „manifeste elucet. Denique ipsorum  
 „quoque Procerum plurimum interesse  
 „videtur, ut firmiter Religioni Catho-  
 „licæ addicti permaneant, cum nondum  
 etiam

„etiam illius nomen ad firmandam eo-  
 „rum auctoritatem potissimum confe-  
 „rat: nulla autem Hæreticorum secta  
 „hucusque Ecclesiæ Catholicæ titulum  
 „sibi arrogare ausa fuerit., Verum in-  
 superhabitis hisce rationibus Senatus  
 edictum suum promulgabat.

§. LXXXIV.

*Aliæ decretorum formulæ postmodum  
 rejectæ.*

Alia quoque decreta circa officiorum,  
 ac rituum mutationem, necnon circa  
 omnes Religiosas ædes Regio ærario  
 adjudicandas proponebantur: verum  
 hæ ipsæ innovationes iisdem subicie-  
 bantur oppositionibus, tandemque idem  
 cum prioribus decretis fatum subibant:  
 nihilominus Senatus, priusquam dis-  
 solvebatur, Reginæ amplissima indul-  
 gebat subsidia, inter quæ haud imme-  
 rito numerari potest jus, vi cuius  
 ipsa ex omnibus mercibus pro qualibet  
 libra unum solidum, necnon pro quovis  
 dolio consuetum vectigal petere poterat,  
 ita, ut primum hoc subsidium Elisabethæ  
 ad totum regiminis tempus perpetuo  
 jure assereretur. Insuper tres adhuc  
 novarum legum formulæ proponeban-  
 tur, quæ tamen omnes a communis Cu-  
 riæ Patribus fuerunt rejectæ. Harum pri-  
 ma Senatus Episcopus a Maria Regina ex-  
 pulsos

Sæcnl. XVI.  
 A.C. 1559.

Burnet l. 3.  
 p. 585.

Rapin Thoir.  
 Hist. d' Angl.  
 t. 6. l. 17.  
 p. 158.  
 Burnet 594.

*Hist. Eccles. Tom. XLIII. L. pulsos*